

Karol Marcinkowski

Curriculum Vitae ex decreto gratiosi medicorum ordinis Berolinensis adiectum

Acta Medicorum Polonorum 2, 114

2012

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Curriculum Vitae ex decreto gratiosi medicorum ordinis Berolinensis adiectum

Ego, Carolus Marcinkowski, natus sum Posnaniae, mense Junio A. MDCCC. patre Josepho Marcinkowski, cuius obitum iam decem per annos lugeo. Primis literarum rudimentis imbutus per septem annos Posnaniense Gymnasium frequentavi, et testimonio maturitatis munitus artis medicae studio operam navaturnus, Berolinum me contuli, hicque a Rectore t.t. magnifico Link die IX. Mensis Octobris anni MDCCCXVII. Numero civium Universitatis literariae adscriptus sum. Praelectionibus Illustrissimorum huius Universitatis Professorum de singulis universae medicinae doctrinis, sequentibus interfui : De logice Cl. Hegel, de physice Cl. Fischer, de chemia Cl. Hermbstaedt et Exp. Schubarth. Anatomiam corporis sani, organorum sensuum fabricam, anatomen pathologicam et comparatam atque physiologiam Cl. Rudolphi, has vero anatomiae partes, quae de ossibus et visceribus tractant Cl. Knape explicuit, uterque autem vir praeclarus artem corpora mortua rite incidendi me docuit. De botanice, historia naturali et pharmacologia disserentem audivi Cl. Link, de generali pathologia Cl. Fr. Hufeland ; de speciali et pathologia et therapia Cl. Horn. Institutiones medicinae practicae Cl. C. W. Hufeland, materiam medicam Cl. Osann me docuerant. In exercenda medicina ducem habui, professorem maxime colendum Cl. Berends, quem etiam de semiotice, de material medica, de inflammationibus, de exanthematibus acutis morbisque mulierum disserentem audivi. In Caritatis nosocomio Cl. Neumann ad Cliniken medicam me instituit. In re chirurgica et ophtalmiatrica et in operationibus chirurgicis perficiendis praeceptratores habui Cl. Graefe, Cl. Rust, et Cl. Wagner. Artem obstricam exercitationesque huc pertinentes manu perficiendas in Instituto obstetricio, moderante Cl. De Siebold, didici. Ad cliniken chirurgicam et ophtalmiatricam instituerunt me Cl. Graefe et Cl. Rust.